

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. V - N. 1

1973

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1973

EX ACTIS PAULI PP. VI

Constitutio Apostolica

<i>De Sacramento Unctionis Infirmorum</i>	3
---	---

Allocutiones

I. <i>Institutorum Saecularium moderatoribus, qui Romae internationali Coetui interfuerunt</i>	7
II. <i>Ad Praelatos Auditores et Officiales Tribunalis S. R. Rotae, novo litibus iudicandis ineunte anno coram admissos</i>	12

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

S. Congr. pro Doctrina Fidei

Declaratio quoad interpretationem quarundam dispositionum, quae Normis, die XIII Ianuarii 1971 editis, statutae sunt	21
--	----

S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus

Decretum: Facultates Religiosis Orientalibus conceduntur	24
--	----

S. Congr. de Disciplina Sacramentorum

Instructio de Communione Sacramentali quibusdam in adjunctis faciliori reddenda	29
---	----

S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus

Decretum circa regiminis ordinarii rationem et religiosi saecularizati accessum ad officia et beneficia ecclesiastica	36
---	----

Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis

Responsa ad proposita dubia	38
-----------------------------	----

ACTA COMMISSIONIS

I. Coetuum studiorum labores	40
------------------------------	----

II. Opera Consultorum in apparandis canonum schematibus	42
---	----

De Cultu Divino	42
-----------------	----

De Institutis perfectionis	47
----------------------------	----

De matrimonio	70
---------------	----

De Iure Patrimoniali Ecclesiae	94
--------------------------------	----

DOCUMENTA

Indagine psicologica e cause matrimoniali (Card. P. Felici)	104
---	-----

NOTITIAE	115
----------	-----

De matrimonio

Prima communicatio laboris Coetus ad canones tituli « De matrimonio » recognoscendos, publici iuris facta in his ephemeridibus vol. 3 (1971) 69-81, complectebatur priora quinque huius tituli capita necnon maiorem partem capitulis sexti (cann. 1012-1102). In quinque sessionibus, a decimateria ad decimam septimam, Coetus canones 1103 et reliqua sex capita pertractavit (cann. 1103-1143) et die 26 mensis ianuarii huius anni schema canonum « De matrimonio » absolvit.

De impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus


Recognitio canonum 1060-1064 et 1070-1071, qui agunt de impedimento mixtae religionis respective de impedimento disparitatis cultus, dilata fuit quia novae Sanctae Sedis normae exspectabantur. Promulgato Motu Proprio « Matrimonia mixta » novi canones ad eiusdem mentem imo, quantum fieri potuit, ad eiusdem litteram confecti sunt et ordini Codicis aptati.

Quod autem ad impedimentum mixtae religionis attinet a Coetu approbatae sunt quae sequuntur normae.

Matrimonium inter duas personas, quarum altera sit catholica, altera vero non catholica, cum natura sua plenae spirituali coniugum communioni obstet, sine praevia Ordinarii loci dispensatione prohibitum est.

Ab hoc impedimento mixtae religionis Ordinarius loci, pro temporum, locorum personarumque rationibus et adjunctis dispensationem concedere potest dummodo iusta habeatur causa. Ad impetrandam dispensationem pars catholica declarat se paratam esse pericula a fide deficiendi removere. Eadem insuper gravi obligatione tenetur promissionem sinceram praestandi se omnia pro viribus facturam esse ut universa profiles in Ecclesia catholica baptizetur et educetur. De his promissionibus a parte catholica faciendis pars non catholica tempestive certior fiat adeo ut constet ipsam vere conscientiam esse promissionis et obligationis partis catholicae.

Conferentiae Episcoporum est, secundum propriam territorii competentiam, statuere modum quo hae declarationes et promissiones, quae semper requiruntur, faciendae sint, sive ore tantum sive etiam scripto sive coram testibus, tum rationem definire qua de ipsis et in foro externo constet et pars acatholica certior reddatur, itemque edicere quae alia sint, pro opportunitate, postulanda.



Ordinarii locorum aliisque animarum pastores curent ut coniugi catholico et filiis e matrimonio mixto natis auxilium spirituale praesto sit ad eorum officia conscientiae adimplenda atque coniuges adiuvant ad vitae coniugalis et familiaris fovendam unitatem. Qua de re optandum est uti iidem pastores relationem instituant cum ministris aliarum communitatium religiosarum easque sincera probitate et sapienti fiducia conforment.

Ut autem Sancta Sedes cognoscere possit rationes quibus matrimonia mixta in variis regionibus tractentur Conferentiae Episcopales Apostolicam Sedem certiorem reddant de iis quae circa matrimonia mixta pro sua competentia decreverint.

Canon 1065 C.I.C., agens de matrimonio a fideli contrahendo cum parte quae notorie aut catholicam fidem abiecit quin ad sectam acatholicam transierit, aut societati ab Ecclesia damnatae adscriptus est, non continet impedimentum sensu proprio, etsi huiusmodi matrimonium aliquando graviora gignere potest incommoda quam ipsum matrimonium mixtum. Quaestio pro praxi pastorali vel difficilior fit si ambae partes notorie fidem abiecerint sed tamen propter rationes non religiosas, ut sunt v. gr. mores familiae vel regionis, in ecclesia matrimonium contrahere desiderant. Ab una parte non convenire videtur ut matrimonium ritu religioso celebretur dum ipsi contrahentes valorem eius et sensum non agnoscant. Ab alia parte illi, qui fidem abiecerunt, exinde non amittunt ius ad matrimonium valide contrahendum, quod, quamdiu legi de forma canonica celebrationis matrimonii subiecti sunt, exercere non possunt nisi ad matrimonium canonice contrahendum admittantur.

Propter has rationes visum fuit matrimonium canonice celebrandum talibus non esse denegandum, idque vel minus si altera pars est fidelis catholica; cautelae tamen, a iure requisitae, quoad substantiam servandae videbantur. Ideo approbata est norma sequens: matrimonium eius qui notorie aut catholicam fidem abiecit, etsi ad communatem acatholicam non transiit, aut societati ab Ecclesia prohibitae seu reprobatae adscriptus est, parochus ne assistat nisi Ordinarius loci, servatis normis de condicionibus dispensationis ab impedimento mixtae religionis statutis, ad singulos casus aptatis, licentiam dederit.

De matrimonio a publico peccatore contrahendo, de quo agitur in canone 1066 C.I.C., aliquid peculiare in novo iure statuere opportunum non videbatur, tum quia ipsa notio publici peccatoris non omnibus clara appareat, tum quia recta ratio agendi in huiusmodi casibus

potius prudentiae pastorali relinquenda videtur. Quare placuit supprimere canonem 1066.

Immutatum remansit impedimentum dirimens disparitatis cultus, quare matrimonium inter duas personas quarum altera sit catholica seu baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta et altera non baptizata initum sine praevia Ordinarii loci dispensatione est invalidum.

Dubium utrum scilicet etiam quod ad hoc impedimentum spectat excipienda sit pars in Ecclesia catholica quidem baptizata vel in eandem recepta, quae tamen actu formali aut notorie ab ea defecit, insolutum remansit aequali numero suffragiorum in partem affirmativam et in partem negativam lato. Approbatus vero est novus canon de vi seu ambitu impedimentorum iuris mere ecclesiastici, scilicet impedimentis iuris mere ecclesiastici tenentur tantum illi, qui sunt in Ecclesia catholica baptizati vel in eam recepti nec actu formali aut notorie ab ea defecerunt. Ita hic canon aptatus fuit novo iuri proposito de subiectis praescriptae formae canonicae in matrimonii celebratione servandae.

Ea autem quae in iure praescripta sunt de condicionibus dispensationis ab impedimento mixtae religionis, de competentia hac in re Conferentiarum Episcopalium, de cura pastorali coniugibus praestanda, applicantur quoque, servatis servandis, matrimoniis contrahendis vel contractis cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

De adnotatione matrimonii

De adnotatione seu registratione matrimonii dubium propositum fuit utrum hodie, cum frequenter homines ab uno in alium locum domicilii transmigrari solent, sufficiat sola registratio in regestis paroeciae ubi matrimonium contractum est. Haud raro paroeciae ipsae supprimuntur quia fere omnes paroeciani in alia loca profecti sunt. Deliberatum fuit utrum opportunum sit praescribere registrationem in alia quoque paroecia, verbi gratia in regestis illius paroeciae ubi inquisitio praematrimonialis peracta fuit. Observatum est tamen iam saepissimum matrimonia adnotari in regestis diversarum paroeciarum, si nempe contrahentes in aliis ecclesiis baptizati fuerunt, in aliis autem matrimonium contrahunt.

Placuit servare quoad substantiam normam Codicis, scilicet: celebrato matrimonio parochus loci celebrationis vel qui eius vices gerit, etsi neuter eidem adstitit, quamprimum adnotet in matrimoniorum regestis nomina coniugum, ministri assistentis ac testium, locum

et diem celebrationis matrimonii, iuxta modum a Conferentiis Episcoporum praescriptum. Dictum est « regestis » loco « libro », quia hodie multis in locis registratio non iam fieri solet in libris, sed variis aliis modis.

Quodsi matrimonium forma extraordinaria contractum fuerit, minister sacer, si celebrationi adfuerit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus parochum aut Ordinarium loci de inito coniugio quamprimum certiorem reddere.

Quoad matrimonia cum dispensatione a forma canonica contracta Conferentiae Episcoporum normas edant quibus modus communi ratione determinetur quo de his matrimoniis in regestis matrimoniorum et baptizatorum constet.

Matrimonium autem contractum semper adnotetur quoque in regestis baptizatorum in quibus baptismus coniugum descriptus est. Quare si coniux matrimonium contraxerit non in paroecia in qua baptizatus est, parochus loci celebrationis matrimonii notitiam initi coiugii ad parochum loci collati baptismi quamprimum transmittat, nec acquiescat donec peractae adnotationis notitiam receperit, quae processui praematrimoniali adiungenda est.

Tandem, ut omnes mutationes status matrimonialis quae in foro externo occurunt in testimoniis baptismatis et matrimonii adnotari possint, quoties matrimonium vel convalidatur pro foro externo vel nullum declaratur vel legitime praeterquam morte solvitur, parochus loci celebrationis matrimonii certior fieri debet ut adnotatio in regestis matrimoniorum et baptizatorum rite fiat.

Caput VII: *De matrimonio conscientiae*

De matrimonio conscientiae dubium propositum fuit an institutio haec in novo iure servanda sit necne.

Plures adducebantur rationes quae eiusdem abolitionem suadere videntur. Multae causae cur matrimonia secreto celebrari deberent, olim gravissimae et urgentissimae, hodie fere numquam occurunt; notum enim est hanc institutionem ortam esse tempore quo revera separatio inter varios ordines hominum vigebat. Haec institutio incommoda eaque gravia secumferre solet cum saepe contra legem civilem adhibeatur, ea scilicet intentione ut matrimonium secreto celebratum auctoritates civiles lateat et ita coniuges evadant effectus eiusdem civiles. Matrimonium natura sua est res publica; in iure civili ne concipitur quidem matrimonium quod non sit publicum; ideo in plu-

ribus nationibus minister sacer poena plectatur si matrimonio assistat secreto et notitiam matrimonii contracti tabulario publico non transmittat. Si cui damna quaedam immineant ex matrimonio publice in civitate propria celebrato hodie commode in alia civitate matrimonium contrahere potest sine ullo periculo divulgationis in propria civitate.

Contra has rationes adducitur etiam hodie casus occurtere in quibus ad consulendum conscientiae matrimonium secreto est celebrandum, ideoque absonum esset hanc institutionem abolere in iure canonico cuius nota est peculiaris ut bono consulat animarum. Quare placuit servare normas de matrimonio secreto celebrando, ut sequuntur.

Loci Ordinarius permittere potest ut matrimonium secreto celebretur. Permissio haec secumfert omissionem publicationum matrimonialium et obligationem gravem secretum servandi ex parte Ordinarii loci, ministri assistentis, testium et alterius coniugis altero non consentiente divulgationi. Haec autem obligatio ex parte Ordinarii cessat si grave scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat. Matrimonium secreto celebratum in peculiari tantummodo regesto servando in secreto Curiae archivo adnotetur.

Placuit mutare inscriptionem huius capituli ita ut loco « De matrimonio conscientiae » dicatur « De matrimonio secreto celebrando ». Nota enim propria huius institutionis est quod celebratio matrimonii et exinde eiusdem quoque existentia sunt secretae, matrimonium autem celebratur et existit non pro sola conscientia seu in foro tantummodo interno, sed in utroque foro, ideoque, licet secretum, non est occultum, sed publicum sensu canonico.

Caput VIII: *De tempore et loco celebrationis matrimonii*

In instructione Sacrae Congregationis Rituum edita die 26 mensis septembbris anni 1964, Cap. III, n. 73, legitur: « Benedictio nuptialis intra Missam semper, etiam tempore clauso ... impertiatur ». Haec ergo instructio derogat legi C.I.C. canonis 1108 §§ 2 et 3. Itaque in novo iure non remanebit nisi huius canonis § 1, scilicet: Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest, secundum probatos libros liturgicos.

Normae autem de loco celebrationis, de quibus C.I.C. canon 1109, pro adiunctis hodiernis iam nimis strictae videbantur. Praeterea visum est maiorem libertatem in hac re discretioni pastorali Ordinario-

rum locorum et etiam parochorum esse relinquendam. Quare placuit normas de loco celebrationis matrimonii reducere ad sequentes.

Matrimonium inter catholicos vel inter partem catholicam et partem acatholicam baptizatam celebretur in ecclesia paroeciali; in alia ecclesia aut oratorio celebrari poterit de licentia Ordinarii loci vel parochi. Matrimonium in aedibus privatis vel in alio convenienti loco celebrari Ordinarius loci permittere potest. Matrimonium inter partem catholicam et partem non baptizatam in ecclesia vel in alio convenienti loco celebrari poterit.

Caput IX: *De matrimonii effectibus*

De canonis 1110 primo commate: « Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum » observatur haec iam contineri in pluribus canonibus prioribus, ut 1013, §§ 1 et 2; 1081 § 2; 1086 § 2. Ceterum fere tautologia videtur dicere ex valido matrimonio — in fieri — enascere validum matrimonium — in facto esse —. Alterum autem comma: « Matrimonium praeterea christianum coniugibus non ponentibus obicem gratiam confert » quandam exceptionem constituit in iure de sacramentis, etenim de nullo alio sacramento in Codice explicata mentio fit de effectu theologicō collationis gratiae.

Tamen canon 1110 quoad substantiam retinendus videbatur. Matrimonium enim praeceteris sacramentis est institutum naturae ideoque convenit declarare quinam sint ipsius effectus. Opportunum videtur hoc loco edicere explicite quod aliis in canonibus implicite tantum continetur. Nec desunt rationes ordinis theologicī et pastoralis ut servetur canon, cuius insuper materia non est mere ordinis theologicī, sed effectus quoque habet iuridicos. Imo convenire iudicatur alterum comma, ad mentem doctrinae Concilii Vaticani II de matrimonio, aliquatenus enucleare.

Ex variis textibus propositis hic tandem retinetur: Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; matrimonium christianum confert praeterea sacramentalē gratiam qua coniuges ad sui status officia et dignitatem roborantur et veluti consecrantur.

Canon 1111 C.I.C.: « Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae » hunc imprimis habuit finem ut clare constaret de suppressione iuris antiqui, denegandi scilicet per aliquod tempus matrimonii con-

summationem ad deliberandum de ingressu in religionem. Nulla videbatur ratio canonem in eundem finem retinendi. Prae oculis vero habita conditione mulierum in quibusdam regionibus opportunum vi- sum fuit aequalitatem mariti et uxoris in novo iure explicite affirmare.

Approbatus fuit textus: Utrique coniugi aequum ius et officium est ad ea quae ad consortium vitae coniugalis pertinent.

Canon autem 1112: « Nisi iure speciali aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti » abolendus censebatur, tum quia parum convenit principio aequalitatis uxor et mariti in praecedenti canone novo affirmato tum quia utilitate caret.

De canone 1113, qui agit de obligatione parentum curandi educationem proles, dubium motum fuit utrum recte collocatus sit sub rubrica « De effectibus matrimonii ». Obligatio enim educationis tenet omnes parentes, etiamsi non fuerint coniugati, quare coniuges eadem tenentur potius ut parentes, non ut coniuges, et obligatio educationis est effectus procreationis potius quam matrimonii. Nihilominus, cum procreatio legitima in matrimonio tantum fiat, locus non mutandus videbatur.

Inde canon 1113 novus proponitur, scilicet: Parentes ius — seu: ius primarium — et gravissimum officium habent proles educationem tum physicam, socialem et culturalem, tum moralem et religiosam pro viribus curandi, mediisque ad haec necessariis providendi.

Quod in Codice educatio religiosa respiciat educationem in religione christiana eaque catholica, satis ex toto contextu clarere censembaratur.

De canonibus 1114-1117, qui agunt de filiis legitimis et illegitimis, recognoscendis variae in varias partes rationes propositae fuerunt.

Quidam opinabantur hanc distinctionem inter filios legitimos et illegitimos tunc tantum in iure esse retinendam si in iure quoque novo haec distinctio sortietur effectus canonicos. Hoc autem dependet a recognitione canonum qui de his effectibus agunt, ut cann. 232, 320, 331, 504, 984, 1363, unde expectare oportet exitum laboris aliorum Coetuum ad quos spectat haec recognitio. Aliunde notum fuit alicui Coetui non placuisse adnectere effectus ipsi facto illegitimitatis, at potius defectui famae de facto existenti, qui defectus alicubi aliquando ex illegitimitate oriri potest. Animadversum fuit canones, qui ex illegitima coniunctione natis conditionem aliis peiores attribuunt, sensum christianum caritatis offendere et discriminationem ac veluti persecutionem sapere contra personas ob factum cuius culpa prorsus va-

cant quaeque ipsae omnino iniuste illegitimae, adulterinae, sacrilegæ etc. vocantur.

Contra affertur leges de illegitimitate eiusque effectibus fundari rationibus sociologicis et geneticis seu in theoria de vitiis ut aiunt hereditariis. Alii negant illam theoriam habere solida fundamenta, admittunt tamen in aliquibus regionibus adhuc vigere rationes sociologicae quae suadent ut leges huiusmodi serventur; proinde solutio magis conveniens forte est rem relinquere iuri particulari, seu Conferentiis Episcoporum. Desideratur ut in iure non tantum caveatur de illegitimis a muneribus ecclesiasticis arcendis sed etiam curetur peculiaris sollicitudo pastoralis eorumque bona educatio. Animadvertisit hic tantummodo solvendam esse quaestionem an retineri debeat distinctio inter legitimos et illegitimos. Quod ad effectus attinet, ipsi praesumi possunt leviores fore in novo iure, sed ipsa distinctio supprimi nequit.

Admissò quod distinctio manere debeat et quidem hoc loco Codicis, recognitio canonum 1114-1117 non ut definitiva habenda est, quia non omnino praescindi potest ab iis quae alii Coetus de effectibus illegitimitatis proposuerint. Nunc sufficiat indicare quinam filii sint legitimi, omittendo qualificationes illegitimi, adulterini vel sacrilegi. Ceterum in precibus ad dispensationem ab effectu illegitimitatis obtinendam species illegitimitatis patefieri debebunt et superior de iis rationem habebit.

Facta demum suffragatione, placet canon 1114 ita redigere: Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo.

Canon 1115 § 1: « Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur », non videbatur ulla indigere emendatione.

Proposito supprimendi paragraphum alteram quia sufficere videatur can. 1114 obiicitur eam complere et pressius determinare normam canonis 1114. Placet autem ut computentur dies potius quam menses, quod ceteroquin concordat canonii 32 statuenti in iure omnes menses esse aequales, scilicet 30 dierum; itaque proponitur canon: Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post dies 180 a die celebrati matrimonii, vel intra dies 300 a die dissolutae vitae coniugalis.

Agitur equidem de praesumptione iuris tantum.

De canone 1116, agens de legitimatione per subsequens parentum matrimonium, plures emendationes propositae sunt.

Loco « matrimonium verum » dicatur « matrimonium validum ».

In canone desideratur legitimatio per rescriptum competentis auctoritatis. Cum facultas legitimandi principi sit reservata, competens auctor-

ritas est ipse Romanus Pontifex. Legitimatio autem per sanationem in radice iam continetur in textu canonis.

Omitti potest clausula « nisi tempore conceptionis obstiterit impedimentum ligaminis, sacri ordinis vel voti sollemnis », quia in his casibus matrimonium celebratur post obtentam dispensationem ab impedimento et ideo iam nulla est ratio urgendi eius effectus quoad legitimatem prolis, quae ceteroquin est innocens.

Proponitur ut loco « Filii illegitimi legitimantur » dicatur « Filii illegitimi legitimi sunt », ita ut distinctio triplex — legitimi, illegitimi, legitimati — reducatur ad solam distinctionem inter legitimos et illegitimos. Alii censent triplicem distinctionem esse retinendam eamque quoad legitimos et legitimatos esse mere terminologicam. Obiicitur in iure vigenti inter legitimos et legitimatos realem quoque fieri distinctionem, ut in canone 232 § 2 n. 1.

Suffragiis de singulis propositis latis placuit canon 1116: Filii illegitimi legitimantur praeterquam per rescriptum Romani Pontificis, per subsequens matrimonium parentum sive validum sive putativum.

Hoc canone probato ultiro liquet canonem 1051, qui sonat: « Concessa dispensatione ab aliquo impedimento, conceditur quoque, celebrato matrimonio, eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega », esse supprimendum.

In canone 1117 nihil aliud emendandum visum fuit nisi ut supprimantur verba « per subsequens matrimonium », ut sonet: Filii legitimati, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit.

Non placuit supprimere verba « nisi aliud expresse cautum fuerit » neque mutare hanc clausulam ita: « nisi aliud in iure communi vel in iure particulari cautum sit ».

Caput X: De separatione coniugum

Art. I. De dissolutione vinculi

Quia in canonibus sequentibus agitur de absoluta indissolubilitate matrimonii rati et consummati necnon de dissolutione matrimonii non consummati, quaestio surgit utrum in novo iure actus consummationis, seu actus copulae perfectae quo consummatio perficitur, definiri oporteat. Hucusque iurisprudentia et doctrina deduxerunt elementa essentialia copulae perfectae ex verbis canonis 1082 § 2 C.I.C.: « actus per se aptos ad prolis generationem ». Haec autem verba in novo textu huius para-

graphi a Coetu proposito iam desunt. In canone autem 1015 § 1 matrimonium dicitur consummatum « si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fuent una caro », quin detur ulterior descriptio naturae huius actus coniugalis.

Opportunum visum fuit in novo quoque iure dare determinationem naturae copulae perfectae, et quidem verbis in canone 1082 § 2 C.I.C. adhibitis. Ut locus aptior huius determinationis electus fuit canon 1015 § 1.

Dubium, autem motum fuit utrum matrimonium consummetur etiam per copulam physice quidem perfectam sed inconscie peractam vel etiam vi extortam. Notum quidem est responsum iuxta doctrinam saltem communio rem hucusque fuisse affirmativum, quod responsum ipsa Sacra Congregatio Sancti Officii quondam confirmavit. Haec vero doctrina, iuxta aliquos, minus convenire videtur doctrinae Concilii Vaticani II de matrimonio et speciatim de actu coniugali. Ita in constitutione « Gaudium et spes » n. 48 legitur: « Actus quibus coniuges intime et caste inter se uniuntur, honesti ac digni sunt et, modo vere humano exerciti, donationem mutuam significant et fuent ... ».

Propterea proponitur ut etiam in iure dicatur consummationem matrimonii modo humano fieri debere ut vera consummatio dici possit. Obicitur tamen notam essentialem alicuius facti in iure facilis esse debere probationis, vix autem probari posse consummationem non humano modo peractam fuisse. Etsi responderi possit actum hominis clare distingui ab actu humano ideoque legitimum esse determinare quali actu matrimonium consummetur; non est tamen praetereundum in multis huiusmodi casibus actum humanum saltem virtualiter adesse ex consensu matrimoniali dato et acceptato.

Etsi maior pars Consultorum censem verba « humano modo » addenda esse in determinatione consummationis matrimonii, una tamen omnium est sententia ut inter uncos ponantur, ut inde appareat ipsorum dubitatio circa hanc materiam.

In canone 1015 § 1 igitur haec proponuntur verba: Matrimonium baptizatorum validum dicitur... ratum et consummatum si coniuges inter se (humano modo) posuerunt coniugalem actum per se aptum ad prolis generationem ... ».

His praemissis, transitus fit ad canonem 1118, qui sonat: « Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nulla causa, praeterquam morte, dissolvi potest ».

Quaesito utrum hic canon, utpote enuntiatio alicuius principii dogmatici, omitti possit, respondetur hoc loco, ut in canone 1013, edici oportere principia fundamentalia quibus nititur disciplina canonica de matrimonio. Inde proponitur ut nihil in verbis canonis mutetur, quae ceteroquin sunt verba Concilii Tridentini. Solummodo vocabulum « validum » tuto omitti potest, utpote superabundans; ex canone enim 1015 § 1 notio validi iam continetur in notione rati.

Iuxta canonem 1119 matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita.

Primum dubium fuit utrum dissolutio per professionem sollemnem religiosam retinenda sit in novo iure an, utpote casus valde rarus, potius Sanctae Sedi relinquatur. Quidam affirmant hanc normam contineare veritatem fidei a Concilio Tridentino definitam, sess. XXIV, *de matrimonio*, can. 6. Contra autem opponitur Concilium Tridentinum non dedisse definitionem professionis sollemnis, quae ceteroquin dependet a iure positivo ecclesiastico, adeo ut tendentia hodie sit ut distinctio inter professionem sollemnem et simplicem in novo iure supprimatur ita ut omnia vota perpetua eosdem sortiantur effectus, solis votis temporaneis et perpetuis distinctis. Ceterum Concilium non intendit definire ius divinum sed tantummodo condemnare sententiam Reformatorum qui reprobabant disciplinam Ecclesiae hac in re; sententia autem nunc in Coetu proposita a canone illo tridentino non tangitur.

Deinde proponitur quaestio utrum Episcopis tribuenda sit facultas dissolvendi matrimonia non consummata. Sunt qui dicant hanc facultatem exclusive competere Romano Pontifici vi potestatis vicariae; animadvertisit autem existentiam quidem ipsius facultatis Romani Pontificis esse certam, notionem autem potestatis vicariae, saltem in hoc contextu adhibitam, non esse adeo claram. Verum est Romanos Pontifices iamdudum hanc potestatem nemini delegavisse, ne Dicasteriis quidem Romanae Curiae, tamen in historia, ut quidam autumant, non desunt exempla delegationis huius facultatis Episcopis, imo et sacerdotibus factae. Dicitur solum Romanum Pontificem et Concilium Oecumenicum auctoritative interpretari posse ius divinum, inde tamen non excludi delegationem facultatis dissolvendi matrimonia non consummata. Ceterum in canonibus minus interest utrum haec facultas Episcopis competere possit ut propria an tantum ut delegata, utpote quaestio potius doctrinalis. Alii censent illam facultatem Episcopis esse tribuen-

dam ut celerius causae de dissolutione definiri possint: proponitur ut dicatur Episcopos dissolvere posse matrimonia non consummata iuxta normas a Sancta Sede latae. Alii contra negant opportunitatem huiusmodi facultatis Episcopis datae, tum quia causis Sedi Apostolicae reservatis securius unitas disciplinae in hac re tanti ponderis servatur, tum propter difficultatem ipsius materiae. Imo convenire censem ut in canone haec facultas non Sanctae Sedi, sed Romano Pontifici tribuatur, ut vel clarius appareat dissolutionem concedi ab ipsa persona Pontificis.

Observatum est melius esse ut evitetur locutio « dissolvitur per dispensationem », quia hac in re non agitur de dispensatione, saltem non eo sensu quo haec vox in iure canonico adhibetur, et in titulo « De dispensationibus » definitur.

Demum quaeritur an dissolutio matrimonii concedi possit tantummodo petente alterutra saltem parte. Fieri enim potest ut partes invitae quidem sunt ad petendam dissolutionem, dum saltem alterutra non est invita quod ad ipsam dissolutionem matrimonii attinet, et petitio fit a tercia persona in bonum partium vel alterutrius. Quare proponitur ut in canone omittantur verba « utraque parte rogante vel alterutra ».

His omnibus discussis et suffragiis latis, placuit proponere canonom: Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam a Romano Pontifice dissolvi potest iusta ex causa, etsi alterutra pars sit invita.

In recognoscendis canonibus 1120-1124 de privilegio paulino imprimis proponitur novus ordo canonum. In primo canone ea omnia ponantur quae ad substantiam huius instituti pertinent (1120). Sequatur canon de modo quo constare debet de discessu partis non baptizatae, de interpellatione nempe plerumque facienda (1121). Deinde ponatur canon de persona quae interpellationem faciat (1122). In canone sequenti determinentur condiciones ut pars baptizata ius habeat novas contrahendi nuptias. Ultimo loco ponatur canon de dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus in casu usus privilegii paulini.

In canone 1120 § 1 haec recensentur elementa substantialia: matrimonium initum a duobus non baptizatis; baptismum alterutrius partis; discessus alterius partis non baptizatae; solutio matrimonii in favorem fidei partis baptizatae et quidem per celebrationem huius partis novi matrimonii.

Verba canonis 1120 C.I.C. « ex privilegio Paulino » alii censem non esse necessaria cum sufficient verba « in favorem fidei »; imo ea

esse omittenda quia in canone plura determinantur quae in textu S. Pauli non habentur ita ut adsit discrepantia inter ea quae requiruntur a S. Paulo et ea quae requiruntur a canone. Alii autem optant ut verba illa « ex privilegio Paulino » serventur quia indicant fundamentum apostolicum huius instituti quod ab Ecclesia semper applicatum fuit.

Ut verbum « legitimum » huius canonis retineatur adducitur privilegium paulinum proprie dictum tantum adhibendum esse si certo constat de legitimitate seu validitate matrimonii, etenim si matrimonium est dubie tantum legitimum ex favore iuris canonis 1127 dissolvi potest. Ad verbum illud omittendum arguitur: est superfluum; ansam dat discussionibus quorundam auctorum qui sustinent legitimatem seu validitatem matrimonii diiudicandam esse secundum indolem et culturam singulorum populorum, quae discussiones sunt vitandae; servetur analogia cum canone 1118 in quo verbum « validum » suppressum est.

Observatum quoque fuit recusationem baptismi poni non posse ut condicionem usus privilegii paulini quia hoc non congruit cum libertate religiosa, unde sola condicio esse potest recusatio cohabitationis pacifica sine contumelia Creatoris.

In fine placuit proponere canonem 1120 § 1: Matrimonium, initum a duobus non baptizatis, solvitur ex privilegio paulino in favorem fidei partis, quae baptismum recepit, celebratione eiusdem partis novi matrimonii, dummodo altera pars non baptizata discedat, ad normam cann. 1120 § 2-1124 et 1127.

Canon 1120 § 2 C.I.C.: « Hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus », non pertinet ad privilegium paulinum proprie dictum, et insuper, quod praecipuum est, iam in praxi abrogata est cum Summi Pontifices iam concedant dissolutionem talium matrimoniorum in favorem fidei. Inde proponitur ut haec paragraphus omittatur.

Hoc autem loco convenire censetur ut determinetur quandonam pars non baptizata dici debeat discedere.

Quaesitum fuit utrum discessio adesse censenda sit si pars non baptizata vellet quidem pacifice cohabitare sed id facere nequit propter rationes quae a sua voluntate non dependent, puta prohibitionem legis civilis, intolerantiam familiae vel populi, etc. Tum in doctrina tum in praxi dissolutio matrimonii in casibus similibus habita est applicatio privilegii paulini. Plures Consultores sentierunt privilegium

paulinum proprie dictum in his casibus applicari non posse et potius dissolutionem in favorem fidei a Romano Pontifice esse petendam.

Etsi forte notio pacificae cohabitationis cum parte catholica iam continet in se cohabitationem sine contumelia Creatoris convenire vi-sum est ut in canone id explicite addatur.

Ita placuit proponere canonem 1120 § 2: Discedere censetur altera pars si nolit pacifice coabitare cum parte baptizata sine contumelia Creatoris, nisi haec post baptismum receptum iustum illi dederit discedendi causam.

In canone 1121 § 1 de interpellatione facienda ius C.I.C. quoad substantiam servandum visum est.

Quaestioni utrum interpellatio ad validum usum privilegii paulini ideoque ad validitatem novi matrimonii requiratur non unum datum fuit responsum. Cum res videretur disputabilis observatum est melius esse ne dicatur in canone interpellationem ad liceitatem tantum requiri, ut salva maneat praxis Curiae eam urgendi; ceterum saepe eam fieri debere non solum ad indagandam mentem partis non baptizatae, sed etiam ad componenda onera iustitiae quae ex solutione matrimonii oriuntur. Contra affertur de his oneribus iudicare auctoritates civiles, unde necessitas interpellationis hāc non est urgenda ratione.

Inde proponitur canon 1121 § 1: Salvo praescripto § 2, ut pars baptizata novum matrimonium contrahere valeat, pars non baptizata semper interpellari debet: 1° an velit et ipsa baptismum recipere; 2° an saltem velit cum parte baptizata pacifice coabitare, sine contumelia Creatoris.

Canon 1121 § 2 nova desumpta est ex Motu Proprio « Pastorale munus » n. 23 collata interpretatione data d. 28 m. novembri a. 1964 — A.A.S. 57, 1965, 187 — ita: Haec interpellatio post baptismum fieri debet; at Ordinarius loci, gravi de causa, permittere potest ut interpellatio ante baptismum fiat; idem, gravi pariter de causa, ab interpellatione dispensare potest, sive ante sive post baptismum, dummodo ex processu saltem summario et extrajudiciali constet eam fieri non posse aut fore inutilem.

Canon 1122 C.I.C. de persona quae interpellationem facere debet mentionem non facit induciarum casu quo pars baptizata ipsa interpellat. Quibusdam videbatur eas in hoc quoque casu esse adhibendas, aliis id negantibus quia inutiles essent et ansam paeberent terendi tempus.

Verba canonis 1122 § 1 C.I.C. « forma saltem summaria et extra-judiciali » aliis videbantur retinenda, eo vel magis quia in canone

1121 § 2 nova haec forma exigitur ad inquirendum utrum interpellatio sit inutilis aut impossibilis; alii autem obiecerunt non eandem esse rationem in utroque casu et sufficere ut semper in foro externo constare possit de interpellatione eiusque exitu.

Canon igitur ita proponitur: § 1. Interpellatio fiat regulariter de auctoritate Ordinarii partis conversae, a quo Ordinario concedendae sunt alteri coniugi, si quidem eas petierit, induciae ad respondendum, eo tamen monito fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, eius silentium pro responsione negativa habeatur. § 2. Interpellatio etiam privatim facta ab ipsa parte conversa valet, imo est licita, si forma superius praescripta servari nequeat. § 3. In utroque casu de interpellatione facta deque eiusdem exitu in foro externo legitime constare debet.

Ea quae in canonibus 1123 et 1124 C.I.C. separatim habentur in unum canonem novum 1123 de condicionibus iuris partis baptizatae ad novas ineundas nuptias coniungenda videbantur.

Verba canonis 1123 C.I.C. « cum parte catholica » omissa sunt. Impedimenta enim matrimonialia, non exclusis impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, non desinunt valere in casu applicationis privilegii paulini. Inde pars baptizata, utique in Ecclesia catholica, non habet ius contrahendi cum parte non catholica nisi dispensatione obtenta de qua canon sequens novus 1124.

Quaestio posita fuit utrum interpellatio fieri debeat si pars non baptizata, postquam primum pacifice cohabitavit, deinde discedat. Etsi interpellatio semel facta iteranda non videtur, saepe partes post baptismum alterutrius pergunt in pacifica cohabitatione quin haec cogitet quidem de privilegio paulino proinde neque de interpellatione. Si postea coabitatio desinit esse pacifica et pars baptizata uti vult privilegio paulino interpellatio fieri debet. Ceterum tutius visum est ut interpellatio iterum fiat quando pars non baptizata primum assentita est pacifica cohabitationi at deinde discedit.

Canon sic proponitur: Pars baptizata ius habet novas nuptias contrahendi: 1º si altera pars negative interpellationi responderit; 2º si interpellatio legitime omissa fuerit; 3º si pars non baptizata, sive iam interpellata sive non, prius perseverans in pacifica cohabitatione sine contumelia Creatoris, postea (sine iusta causa) discesserit, servatis cann. 1121-1122.

Utrum verba « sine iusta causa » addenda sint necne incertum remansit. Ceterum vi canonis 1120 § 2 novi pars non baptizata non discedere censemur si pars baptizata iustum illi dederit discedendi causam.

Facultas Ordinariis locorum in canonibus 1061 et 1071 agnita

dispensandi ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus iusta de causa extenditur ad normam Motu Proprio « Pastorale munus » ad causam quo applicatur privilegium paulinum; at M. P. requirit iustum et gravem causam. Aliis Consultoribus visum est iustum causam in utroque casu sufficere, aliis dissentientibus.

Placuit canon: Etiam in casu usus privilegii paulini, Ordinarius loci, gravi tamen de causa, dispensare potest ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis praescriptis cann. 1061-1064 et 1071.

De canone 1125 C.I.C. fuse disceptata est quaestio de Constitutionibus in eodem allatis in novo canone redigendis. De interpretatione harum Constitutionum, extensione et applicatione hodierna plures quaestiones tractatae sunt, at tandem visum est canonem redigere ut normam novi iuris sine mentione Constitutionum Apostolicorum; et quidem normam correspondentem praxi hodiernae Ecclesiae; quae norma respiceret tantum casus polygamiae simultaneae, reliquis ad Sanctam Sedem remissis. Placuit quoque addere normam de iuribus uxorum dimissarum, peculiariter si prima fuerit, tuendis.

Itaque: canon 1125: § 1. Infidelis, qui plures uxores simul habuerit, ad fidem catholicam se convertens, si durum ei sit cum earum prima manere, potest quamlibet ex illis, ceteris dimissis, retinere. Recepto autem baptismi, renovandus est consensus matrimonialis, obtenta etiam, si opus sit, dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, servatis aliis de iure servandis. Si istae condiciones non verificantur, recurrendum est ad Sedem Apostolicam in singulis casibus. § 2. Ordinarius, pree oculis habita conditione morali, sociali, oeconomica locorum et personarum, curet ut primae uxoris aliarumque dimissarum necessitatibus satis provisum sit, iuxta normas iustitiae, christianae caritatis et naturalis aequitatis.

Canon 1126 C.I.C.: « Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit » iam in novo canone 1120 continetur, saltem quatenus privilegio paulino applicatur. Quare proponitur ut omittatur.

De canone 1127 C.I.C.: « In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris » dubium motum fuit utrum favor iuris valeat tantum de applicando privilegio paulino an etiam de aliis modis dissolutionis vinculi matrimonialis in favorem fidei. Allatis argumentis in utramque partem, tandem placuit relinquere canonem uti sonat, quia praesertim adhibetur dissolutionibus quae interventum Sanctae Sedis non requirunt, dum de dissolutionibus Romano Pontifici reservatis ipse iudicabit.

Opportunum imo necessarium visum est in hoc articulo inserere novum canonem de dissolutione vinculi matrimonialis in favorem fidei. A Coetu competenti iam redactum fuit schema de causis solutionis matrimonii in favorem fidei, unde in iure substantiali esse debet norma quae sit veluti fundamentum canonum iuris processualis.

Huius autem schematis canon 2 hic spectat: « Gratia solutionis numquam conceditur nisi ex processu probe compertum fuerit in singulis casibus adesse conditiones quae sequuntur: 1º carentia baptismatis in alterutro (saltem) coniuge perdurans toto tempore vitae coniugalnis; 2º matrimonium consummatum non fuerit post baptismum susceptum a parte quae non erat baptizata; 3º moralis impossibilitas restorationis vitae coniugalnis; 4º absentia scandali vel admirationis; 5º novum matrimonium cum parte catholica contrahatur ». Ceterum canon refert ius iam vigens in tribunalibus servatum.

Quaesitum fuit criterium distinctionis inter ius substantiale et ius processuale, ratione habita naturae peculiaris huius causae, quae non est via ad ius vindicandum sed ad gratiam obtainendam. Plures censent canonem 1127 bis continere debere tantummodo principium in hac re fundamentale, quale scilicet matrimonium et qua ratione a Romano Pontifice dissolvi possit. Quare placuit canon: Matrimonium initum a partibus quarum una saltem baptizata non fuit a Romano Pontifice dissolvi potest in favorem fidei, dummodo matrimonium non fuerit consummatum postquam coniuges baptizati fuerint.

Art. II. De separatione manente vinculo

Non placuit invertere ordinem articuli I et II; neque ut fierent capita distincta propter discrepantiam materiae; placuit autem mutare inscriptionem seu rubricam huius articuli in C.I.C. « De separatione tori, mensae et habitationis » in hanc: « De separatione manente vinculo », quia in canonibus 1128-1132 sermo est de separatione sine ulla ulteriore determinatione.

De canone 1128 C.I.C. discussio facta est utrum sit potius indolis moralis, respiciens vitam privatam coniugum, an etiam indolis canonicae. Placuit textus qui clarius aspectum canonicum exprimit, scilicet: Coniuges habent ius et officium servandi communionem vitae coniugalnis nisi legitima causa eos excusat.

De canone 1129 C.I.C. § 1 primum quaeritur utrum mitiganda sit. Aliis durum videtur omne adulterium, vel semel commissum, perpetuo private iure ad vitae communionem, sine respectu ad bonum prolis

et obligationem christianam condonationis; alii censent mitigationem non respicere ius, sed curam pastoralem, qua coniuges inducantur ad clementiam et usum moderatum iuris. Proponitur ut verba « etiam in perpetuum » deleantur; vel ut separatio sine interventu auctoritatis perpetua institui nequeat.

Deinde quaeritur utrum adulterium inter causas separationis locum peculiare servare debeat. Pro responso negativo afferatur: opinio olim communis, id scilicet fundamentum habere in Evangelio, hodie iam non sustinetur; ne respiciantur singulae causae ruinae vitae coniugalnis, sed potius attendatur utrum de facto convictus coniugalnis sit moraliter impossibilis vel intolerabilis aut notabiliter nocivus pro educatione proli; id melius respondet novo canoni 1081 § 2, ubi ut obiectum consensus matrimonialis in recto ponitur consortium vitae coniugalnis. Obiicitur: adulterium est factum praeteritum, reliquae causae habent effectus praesentes et futuros, ergo nequeunt una simul tractari; in ordine tum theologico tum anthropologico adulterium est tanti momenti ut peculiari sit causa separationis; haec causa separationis habet fundamentum in Evangelio; ipsum ius civile adulterio peculiare tribuit momentum in ordine ad separationem. Observatur in adulterio non merum factum physicum attendi sed effectum in conviventiam coniugalem, quare auctoritatis est iudicare utrum per adulterium conviventia perpetuo intolerabilis facta sit. Quaestio utrum hoc iudicium sit declarativum an constitutivum iuris separationis non a iure, sed a doctrina solvenda est.

Placuit canon 1129 § 1: Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi vitae coniugalnis communionem, nisi in adulterium consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque adulterium commiserit.

In eiusdem canonis § 2 visum fuit omittere verbum « crimen », cum « crimen » potius ad ius poenale referatur, et mentionem facere recursus etiam ad auctoritatem civilem; ita: Tacita condonatio habetur si coniux innocens, postquam de adulterio certior factus est, sponte cum altero coniuge maritali affectu conversatus fuerit; praesumitur vero si per sex menses vitae coniugalnis communionem servaverit, neque recursum apud auctoritatem ecclesiasticam vel civilem fecerit.

Mens autem fuit ut non liceat instaurare separationem perpetuam sine interventu publicae auctoritatis; quare addita est nova § 3: Si coniux innocens sponte vitae coniugalnis communionem solverit, debet intra sex menses causam separationis deferre ad competentem auctoritatem, quae, omnibus consideratis circumstantiis, decernat utrum separatio legitime protrahi possit sive temporanea sive perpetua.

Canon 1130 C.I.C., semel approbata hac paragrapho praecedenti, plura continet quae omittenda videntur. Ut aptius correspondeat canoni 1129, ita proponitur: Potest laudabiliter coniux innocens alterum coniugem ad vitam coniugalem rursus admittere, quo in casu iuri separationis renuntiat.

De aliis causis separationis varia proposita sunt: duae causae canonis 1131 § 1: « si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit » et: « si prolem acatholice educaverit » parum concordant doctrinae declarationis Concilii Vaticani II « Dignitatis humanae »; relinquatur Conferentiae Episcopali alias causas determinare, vel in lege communi principium generale statuatur, ulterius determinandum a Conferentia Episcopali; causa separationis provenire quoque potest ex damno filiis timendo. Inde canon 1131 proponitur: § 1. Si alter coniux vitam communem sive coniugi sive filiis periculosam vel nimis duram reddat, huic legitimam praebet causam discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de ea certo constet et periculum sit in mora. § 2. Conferentiarum Episcoporum est causas separationis, pro moribus populorum et locorum circumstantiis, statuere. § 3. In omnibus casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est (nisi in decreto separationis aliter statutum sit).

De educatione filiorum in casu separationis, de qua canon 1132 C.I.C., visum fuit nihil statuendum esse de favendo coniugi innocentia in hac re causa tantum prolis agatur attentis circumstantiis concretis personarum. Quare placuit: Instituta separatione coniugum opportune semper cavendum est de educatione filiorum catholica et civili.

Caput XI: De matrimonii convalidatione

Art. I. De convalidatione simplici

Primum quaedam sententiae propositae sunt de convalidatione simplici in genere; quarum praecipuae sunt:

— ius illud ad simpliciorem formam redigatur et introducatur determinatum tempus cohabitationis coniugalis voluntariae, quo elapso matrimonium nullum ob causam iuris positivi ipso iure convalidetur;

— renovatio consensus non est necessaria si validitati matrimonii obstat tantum impedimentum dirimens; si impedimentum cessat vel dispensatur per se sufficit ad matrimonium convalidandum ut consensus perseveret;

— substantia iuris servetur prout est in canone 1133, ubi requiritur cessatio impedimenti et renovatio consensus; haec enim est necessaria vel valde opportuna.

Quibus discussis placuit nihil mutandum esse in canone 1133 C.I.C. §§ 1 et 2.

De definitione actus renovationis consensus in canone 1134 variae fuerunt sententiae: consensus renovandus easdem qualitates habere debet ac ille qui requiritur in celebratione matrimonii; non agitur tantum de matrimonio quod constet ab initio nullum fuisse, sed etiam de quo dubium est utrum nullum sit; alii censem canonem esse simplicem explicationem canonis praecedentis, quia renovatio consensus semper est novus actus voluntatis; alii respondent hic determinari modum renovationis, mentem autem canonis esse ut renovans consensum sibi conscientius sit nullitatis ideoque libertatis convalidandi matrimonium aut ab eo recedendi.

Placuit ita: Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod renovans sciat aut opinetur ab initio nullum fuisse.

In discutiendo canone 1135 ratio habita est novi canonis 1037: « Publicum censetur impedimentum quod publico ex facto oritur vel quod alio modo probari in foro externo potest; secus est occultum ». In paragrapho prima mentio fit facultatis dispensandi a forma canonica pro matrimonii mixtis, ita: Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma canonica, salvo praescripto can. 1099 § 3.

Duas reliquias paragraphos in unam redigere placuit, ita: Si impedimentum probari nequeat, satis est ut consensus renovetur privatim et secreto; et quidem a parte impedimenti conscientia, dummodo altera in consensu praestito perseveret, vel ab utraque parte, si impedimentum sit utriusque parti notum.

Propositum fuit addere § 3am novam, scilicet: Haec renovatio fieri potest vel expressis verbis vel per spontaneam consuetudinem maritali affectu habitam. Non placuit ut pote superflua; in casu requiritur et sufficit intentio renovandi consensum et non refert modus quo haec ad actum ducatur.

Canon 1136 § 1 de convalidatione matrimonii irriti ob defectum consensus placuit uti est in C.I.C. In §§ 2 et 3 visum fuit distinguere tantum defectum consensus publicum et occultum — ad mentem can. 1037 — omissa distinctione inter defectum mere internum et defectum etiam externum; itaque: § 2. Si defectus consensus probari nequeat,

satis est ut pars, quae non consenserat, privatim et secreto consensum praestet. § 3. Si defectus consensus probari possit, necesse est ut consensus forma canonica praestetur.

De convalidatione ipso iure introducenda textus propositus fuit huius tenoris: Nisi actio ad petendam nullitatem vel separationem sit instituta, matrimonium nullum ob vim et metum aut ob dolum convalidatur ipso iure per liberam cohabitationem quae per tres annos duret a momento cessationis metus vel detecti doli.

Obiectum fuit: lex nequit supplere consensum neque in casu convalidationis; difficile esset determinare in quoniam momento matrimonium validum fit ideoque sacramentum. Responsum fuit condiciones appositas sufficienter innuere renovationem consensus saltem tacitam locum habuisse; praeterea evitarentur certi casus declarationis nullitatis qui scandalum faciunt in Ecclesia. Insistitur autem cohabitationem non esse signum certum renovationis consensus, neque tacitae, quia ex solo facto cohabitationis probari nequit partem habuisse intentionem renovandi consensum, quae intentio tamen semper requiritur; non habetur nisi praesumptio renovationis consensus. Praeterea non liquet cur spatium trium annorum requiratur et matrimonium non censeatur convalidatum ipso iure statim ac cessaverit impedimentum. Responsum fuit psychologiam attendendam esse coniugum, qui cessato metu vel dolo nonnisi pedentim ad communionem vitae perveniant; potius autem quam convalidatio ex iure dici deberet convalidatio ex tacito consensu.

Omnibus perpensis non placuit introducere convalidationem huiusmodi. Cum autem sermo fuisset de praesumptione renovationis consensus ex facto cohabitationis cessato metu vel dolo, quaesitum fuit an placeret introducere praesumptionem convalidationis ex praesumpta renovatione consensus; quod non placuit.

Servandum vero visum fuit canonem 1137 de convalidatione matrimonii invalidi ob defectum formae, addito in fine « salvo praescripto can. 1099 § 3 ».

Art. II. *De sanatione in radice*

Primo actum est de proposito quodam reducendi institutum sana-
tionis in radice ad formam simpliciorem, statuendo: 1° convalidatio
data cum dispensatione a renovando consensu dicitur sanatio in radice;
2° sanatio conceditur solummodo si consensus perseverat vel a mo-
mento consensus praestiti; 3° potest concedi ab Ordinario loci nisi adsit

impedimentum S. Sedi reservatum; et omittendo normas de retrotrac-
tione effectuum. Obiicitur autem sanationem in radice longe differre a
convalidatione simplici: illa est actus auctoritatis, haec actus partium.

De canone 1138 § 1 C.I.C., quae continet definitionem sanationis
in radice, plura sunt observata: clare dicatur eam esse convalidationem
matrimonii irriti; non secumfert, sed praesupponit cessationem impe-
dimenti, secumfert autem dispensationem impedimenti, si adsit; primo
loco ponatur dispensatio a lege de renovando consensu, deinde dispen-
satio ab impedimento. Quidam optant omittere retrotractionem circa
effectus canonicos, cum respiciant tantum legitimationem prolis, cui
satis provisum est canone 1114 — filii nati ex matrimonio putativo sunt
legitimi; plura autem matrimonia quae sanantur in radice fuerant pu-
tativa —, vel canone 1116 — filii illegitimi legitimantur per subse-
quens matrimonium —, vel per dispensationem si adhuc opus sit. Alii
autem censem retrotractionem non respicere tantum legitimationem
filiorum. Proponitur quoque ut omittantur verba « per fictionem iuris ».
Animadvertisit institutum sanationis in radice ortum fuisse ex contro-
versia utrum ius legitimandi competeret auctoritati ecclesiasticae aut
civili; auctoritas ecclesiastica, sanando matrimonium per fictionem iuris
inde a momento celebrationis, eo ipso sanavit illegitimatem prolis ex
matrimonio natae.

Placuit haec definitio: Matrimonii irriti sanatio in radice est eius-
dem convalidatio, a competenti auctoritate concessa, secumferens di-
spensationem a lege de renovando consensu, de qua in cann. 1133-1137,
et dispensationem impedimenti, si adsit, necnon retrotractionem circa
effectus canonicos ad praeteritum.

In canone 1138 § 2 C.I.C. tantum visum fuit mutare verba « ad
matrimonii initium » in « ad momentum celebrationis matrimonii »,
cum proprie loquendo matrimonium incipiat a momento concessionis
sanationis.

Canon 1140 §§ 1 et 2 C.I.C. sine mutatione probandus videbatur.
Cum hic canon agat de necessitate consensus et de omni sanatione valeat
positus fuit statim post canonem 1138 ut canon 1138 bis, ita ut prin-
cipia de consensu in canonibus sequentibus repeti non debeant.

Canon 1139 § 1 C.I.C. in schemate proponitur ut canon 1138 ter
§ 1: Matrimonium irritum ob impedimentum dirimens vel ob defectum
legitimae formae sanari potest, dummodo consensus utriusque partis
perseveret.

Norma de sanatione in radice matrimonii irriti ob impedimentum
iuris naturalis vel divini canonis 1139 § 2 C.I.C. translata fuit ad ca-

nonem 1138 ter § 2 schematis. De ipsa norma plures censem eam mutari debere quia de facto nunc talia matrimonia sanari solent. Quidam obiciunt ipsum consensum censeri vitiatum si talia matrimonia scienter contrahantur; sed respondetur hanc sententiam repugnare doctrinae Card. Gasparri et canonis 1085 C.I.C. Ceterum, etiam si matrimonium est irritum ob impedimentum iuris naturalis vel divini, sanari nequit nisi perseverante utriusque partis consensu, vi canonis 1138 ter § 1.

Probata est § 2 ita: Matrimonium irritum ob impedimentum iuris divini vel naturalis sanari nequit nisi postquam impedimentum cessaverit.

Norma canonis 1138 § 3 C.I.C. de sanatione concessa alterutra vel utraque parte inscia translata fuit ad canonem 1139 schematis. Plerisque autem placuit ut adhiberentur quaedam cautelae, cum iam Episcopi quoque sanationem concedere valeant et sanatio insciis partibus data incommodis haud spernendis ansam praebere possit; imo non desunt casus in quibus partes prius insciae postea causam contra sanationem moverunt. Tamen praxis vigens, de cuius legitimitate dubitari nequit, servanda censem ob bonum matrimonii et bonum publicum. Variis propositis cautelis tandem admittuntur existentia gravis causae et probabilis voluntas partium perseverandi in vita coniugali. Itaque: Sanatio valide concedi potest etiam alterutra vel utraque parte inscia; ne autem concedatur nisi ob gravem causam et nisi probabile sit partes in vita coniugali velle perseverare.

De canone 1141 Codicis, in schemate canon 1140, de auctore sanationis, deliberatum fuit utrum, praeter quam Sanctae Sedi, facultas eam concedendi agnosceda sit Episcopis dioecesanis ipsisque in iure aequiparatis, potius quam, ut in Motu Proprio, « Matrimonia mixta », Ordinariis locorum; utrum facultas Episcoporum extendenda sit ad sanationes generales necnon ad sanationes matrimoniorum quae nulla fuerant ob impedimentum iuris divini vel naturalis.

Placuit ita: § 1. Sanatio in radice concedi potest ab Apostolica Sede. § 2. Concedi quoque potest ab Episcopis dioecesanis ipsisque in iure aequiparatis, in singulis casibus, etiamsi plures nullitatis rationes in eodem matrimonio concurrent, impletis condicionibus de quibus in can. 1061 pro sanatione matrimonii cui obstat impedimentum mixtae religionis vel disparitatis cultus; concedi autem ab iisdem nequit si adsit impedimentum cuius dispensatio Sedi Apostolicae reservatur ad normam can. 1040 § 2 (schematis), aut agatur de impedimentis iuris divini vel naturalis quod iam cessaverit.

Caput XII: De secundis nuptiis

Plerisque Consultoribus placuit proponere ut in novo iure canon 1142 C.I.C. omittatur. Etsi plene agnoscunt honorem castae viduitati tribuendam necnon validitatem ac liceitatem secundi ulteriusque matrimonii, non visum est oportere ut hae veritates in iure memorarentur. Quod in iure orientali hic canon servetur peculiari nititur ratione.

Lex autem Ecclesiae latinae, quam continet canon 1143 C.I.C., abrogata fuit instructione S. Congregationis Rituum d. 26 m. septembris a. 1964, Cap. III, n. 73, ubi legitur: « Benedictio nuptialis intra Missam semper, etiam tempore clauso et etsi unus vel uterque coniux ad alias nuptias transit, impertiatur ».

Omissis duobus canonibus quibus constat, iam Caput XII de secundis nuptiis in schemate sublatum est (Petrus Huizing, *Relator*).

